



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. II. Oratium Ad Jesum-Christum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Tunc buccinabit Sophonias: Lauda filia Sion, jubila Israël, lætare, & exulta in omni corde filia Jerusalem. Abstulit Dominus iudicium tuum, avertit inimicos tuos; Rex Israël, & Dominus in medio tui, gaudebit super te in lætitia, filebit in dilectione sua, exultabit super te in laude. Tunc jubilabit Zacharias, Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem, ecce Rex tuus veniet, tibi justus & Salvator, quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus. Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?

§. II.

ORATIO AD JESUM-
CHRISTUM.

Domine mi JESU-CHRISTE Salvator omnium hominum maximè fidelium, solus Deus - Homo, Media-

tor Dei & hominum, qui dedisti
 temetipsum redemptionem pro omni-
 bus, semper vivens ad interpellan-
 dum pro nobis, qui pro omnium salu-
 te sanguinem tuum fudisti, volens
 omnes homines salvos fieri, nolens
 aliquem perire; tu es Advocatus no-
 ster apud Patrem, tu es propitiatio
 pro peccatis nostris, non pro nostris
 autem tantum, sed & pro totius mun-
 di. Tu ipse ore tuo Sacro-Sancto, Pa-
 trem pro nobis precando dixisti: Hæc
 est vita æterna, ut cognoscant te so-
 lum Deum verum, & quem misisti
 JESUM-CHRISTUM: ideo cum
 in forma Dei esses exinativisti temet-
 ipsum formam servi accipiens, & fa-
 ctus es obediens usque ad mortem Cru-
 cis, ut exaltatus à terrâ omnia corda
 traheres ad teipsum, ut omnis qui cre-
 dit in te, in te sperat, te invocat, te
 diligit, & sequitur te usque in finem,
 non pereat, sed habeat vitam æternam
 per te: de cujus plenitudine nos omnes
 accepimus, gratiam pro gratia. Ideo
 Pater tuus exaltavit te, & dedit tibi
 nomen quod est super omne nomen,
 ut in nomine tuo JESU flectatur om-

ne genu, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS-CHRISTUS, victor omnium per crucem suam, in gloria est Dei Patris. Postula ergo à Patre, & dabit tibi omnes gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, & dicetur ubique terrarum in nationibus, regnavit à ligno Deus-Homo. Alleluia laudate Dominum.

§. III.

ALLOQUIUM AD DEI
GENITRICEM.

U quoque, semper Immaculata, semper Virgo, gratiâ plena ab initio, Sancta Dei Genitrix MARIA; inter omnes puras creaturas Benedicta, & Beatissima; tu Patris æterni Filia primogenita, Verbi Incarnati in te, & de te, sola vera Parens, Dei Genitrix MARIA, Spiritus Sancti Sponsa, Sanctuarium animatum Sanctissimæ Triadis; tu sola cunctas hæreses interemisti in univer-